

7
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

P I I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P Æ V I I .

LITTERÆ APOSTOLICÆ IN FORMA BREVIS

P R O

Monasteriis Cartusianorum Trisultiensi,
& Romano .



R O M Æ M D C C C I .

Apud Lazarinum Rev. Cam. Apost. Typographum .

Kq 3

102

IN HONORE DOMINI IUSTITIAE

Kg 31 102 I I P

AITNECPORE ANIVIC

I I V E P A P

MVRES ANNOE DE SOLIDITROGA ENELTII

Monasterii Cartusiani in Diocesi Alatrina



Stadt- u. Univ.-Bibl. Frankfurt/Main

541 20 2000000 A M O R

quidqogqE ceogA moD mll unihasaA ogqA

X 3 X

Dilectis Filiis Monachis Trisultiensis Familiae Ordinis Cartusiani in Diocesi Alatrina

PIUS PP. VII

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem

Qui noster in vos amor, quæ erga vos omnes paterna cura, quod studium extiterit, constituenda in Vobis pacis, & otii, quod perturbatum acceperamus ob controversiam quandam à Dilecto Filio Priore Generali vestri Ordinis commotam, de iure eligendi Prioris Monasterii vestri, satis cognovisse, & perspexisse videmini ex iis Litteris, quas a Vobis ad Nos adtulit dilectus Filius Joachimus Tosius Notarius Apostolicus, & Secretariæ Nostræ Brevium Substitutus, quem ad Vos delegandum (1) existimavimus, vos ut solaretur, & confirmaret; rogatus etiam Venerabilis Frater nostri Henrici S. R. E. Cardinalis Episcopi Tusculani Ducis Eboracensis nuncupat, qui totius Cartusiani Ordinis apud Nos, & hanc Sanctam Sedem Apostolicam, tanta cum fidei, vigilantia, industria, ac sapientiæ laude, Protectorem agit, Neque secus vero affecti erga Familiam vestram debemus esse, quæ una fere tam clari, ac vetusti Ordinis, intra fines Pontificiæ Nostræ Ditionis remansit, quam scimus, ab Innocentio PP. III. immortalis mem. Prædecessore nostro constitutam, quæque ad hanc usque diem *Christi bonus odor* latissime se diffundens, non finitimis modo Populis, sed etiam longinquis, fuit. Atque is, quem commemoravimus, Joachimus Tosius spei, & expectationi nostræ, atque Henrici Cardinalis, in negotio, quod ei demandavimus, gerendo, egregie respondit: ac novimus etiam, illum Venerabilibus Fratribus Episcopis, qui vicini vobis sunt, suis actionibus multum satisfecisse, Quare, ut, quæ ab ipso inchoata, Deo Auctore, & Adjutore sunt, absolvamus, restat, ut Priorem idoneum *iuxta Cor Dei*, qui vos scientia, & doctrina pascat, Vobis Nos ipsi præficiamus, Magnopere enim collaudandus est Dilectus Filius Vincentius Carlettius, istius Familiae professus Monachus, qui gubernacula Monasterii vestri, ad quæ ut assidere pergeret, auctoritate nostra Apostolica decreverat supradictus Joachimus Tosius Delegatus Noster, sua sponte dimisit, quærens *non, quod sibi utile est, sed quod multis* Apostoli Pauli præcepto, & exemplo, Fratrumque suorum quieti, & tranquillitati post habenda omnia esse arbitratus. Itaque ejusmodi illius abdicationem libentissime Nos accipientes, ratamque habentes, motu proprio, certa scientia, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, tenore præsentium Litterarum, Dilectum Filium Bartholæum Toniaz.

(1) per Litteras Apostolicas item in forma Brevis diei 10. Februarii hujus anni

piazzium Monachum Professum istius Monasterii, ejusdem Monasterii Priorem, cum omnibus facultatibus, juribus, privilegiis, quae Prioribus Monasteriorum Cartusiensium, vi statutorum, aut consuetudine, conveniunt, ad nostrum, & hujus Sanctae Sedis Apostolicae beneplacitum, creamus, facimus, deputamus; Eum profecto, quem major suffragiorum vestrorum pars, quae scripto consignata secreto dari sibi prudentissime jussit Delegatus Noster, quaque penes Nos sunt, eo dignissimum munere declarat; cujus eximia virtuti nemo est, quin amplissimum testimonium ferat; qui denique, cum, juxta Apostolum, *non sumat sibi honorem, sed vocetur a Deo tamquam Aaron*, adjumenta, ad grave perferendum onus, vestro cum omnium fructu, & utilitate, a Divina Benignitate sibi polliceri abunde debeat. Quare mandamus in virtute sanctae obedientiae Vobis omnibus, & singulis, ceterisque, ad quos spectat, etiam speciali, & aperta mentione dignis, ut Eum, tamquam legitimum Priorem istius Monasterii recipiatis, observetis, colatis, ei obtemperetis, pareatis, praesto sitis. Ut vero planum, atque apertum sit magis, quanta Nos benevolentia Vos complectimur, Monasterium istud Vestrum, Monachos, Fratres, Familiam, Praedia, Fundos, Bona, & res prorsus omnes sub immediata Protectione Sanctae Sedis Apostolicae latere in posterum volumus, iisdem motu, scientia, & potestate supradictis decernimus, declaramus. Decernentes, has Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & defini debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon supradicti ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inseritis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, Die XXI. Martij MDCCL. Pontificatus Nostri Anno Primo.

R. Card. Braschius de Honestis.

PIUS

(3)
PIUS PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Monasterii Cartusianorum, quod in saltu est, cui Trisulto nomen, in Dioecesi Alatrina, incolumitatem, statum, pacem, & otium, Deo adjuvante, nostrosque conatus, ipsius obsequium, laudemque majorem unice spectantes, provehente, constitulimus per Litteras nostras in forma Brevis, die XIII. Martij hujus anni datas, quibus motu proprio, certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, tum egregium virum Priorem ei Monasterio praefecimus, tum ipsum Monasterium, Monachos, Fratres, Familiam, praedia, fundos, bona, & res prorsus omnes sub immediata Protectione Sanctae Sedis Apostolicae adscrivimus, & recepimus. Letatos hoc facto vehementer, ac merito esse scimus Venerabiles Fratres Episcopos, qui vicini Monasterio sunt, laetata municipia, oppida, atque agros circum ea Loca, totam denique gaudio exultasse Provinciam; quae in eo Monasterio per fugium habeat, ac solatium inopiae, incitamentum virtuti, ornamentum in secundis rebus; certum apud Deum praesidium in adversis. Reliqua sane erat cura de Cartusianorum Monasterio, quod hic Romae est, Beatae Mariae Angelorum nuncupat, cujus aedificii pars fere olim fuit incendio absorpta, cujus fortunae male multatae dicuntur, quod magno aere alieno obrutum fertur, in quod se contulit Dilectus Filius Prior Generalis Ordinis, compluresque una Monachi refugerunt, quodque Monasterium idcirco ab Trisulti alio, quamvis ipso etiam adfecto multis cladibus, ob communes miseras, magnisque oneribus presso, subsidium, & levamen ingenti convicio flagitaret. Nos, qui sine strepitu forensi, ac judiciali disceptatione rem transigi malle-mus, atque ita prospiciendum Romano Monasterio existimaremus, ut ne quod inde incommodum, detrimentumque Trisultiensi Monasterio inferretur, jussimus, in hanc quoque cogitationem incumbere Dilectum Filium Joachimum Tosium Presbyterum, Notarium Apostolicum, Substitutum Secretariae nostrae Brevis, & Consultorem Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Praelatorum, super negocia Ecclesiastica deputata, nostrumque ad Monasterium Trisultiense Delegatum, in cujus fide, atque industria valde acquiescimus. Impigre is quidem Nobis obtemperavit, ac rationem, controversiae inter utrumque Monasterium componenda, mutua cum utriusque utilitate, nobis proposuit, post colloquia habita cum Dilectis Filiis Priore Generali, ac Priore Trisultiensis Monasterii, qui tum forte Romae aderat, aliisque peritis Monachis, adhibito ad ea secum Dilecto Filio Magistro Dominico Attanasio, quem Venerabilis Frater Noster Henricus S. R. E. Cardinalis Episcopus

pus Tusculanus, Dux Eboracen. nuncupat., pro suo in Cartusiano-
rum Ordinem, cujus est Protector, studio, interesse negotio postu-
laverat. Ejusmodi nos rationem, ab ipso Delegato Nostro etiam,
atque etiam rogati, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostro-
rum S. R. E. Card., negociis, & consultationibus Episcoporum, &
Regularium prepositæ, examinandam dumtaxat commisimus, de-
que illa una ut suffragium Nobis expromeret suum, ei injunximus;
quo facilius nempe, quod esset opportunum maxime, atque e re
Monasterii utriusque pateret, certiusque Ipsi Nos deinde, quod vi-
deretur in Domino expedire, pronunciaremus. Perjucundum fuit
profecto nobis, rationem propositam, & explicatam a Delegato No-
stro, quæ vel prima fronte Nobis placuisset, Sacræ etiam Congre-
gationi fuisse probatam, quæ, per Dilectum Filium Magistrum Dio-
medem Caraffam suum Secretarium, sententiam de illa suam, ali-
quot capitibus comprehensam, & perscriptam, duobus post mensi-
bus, referti Nobis curavit, tenoris, qui sequitur = *Articolo I.* =
*Delle due Certosa di Trisulti, e di Roma, se ne formerà in avveni-
re una sola, incorporandosi il Monastero di Roma, e le sue perti-
nenze alla Certosa di Trisulti, onde questa sarà rispetto a quella,
come Figlia a Madre = Articolo II.* = *La Certosa di Roma sarà
considerata, come un Ospizio di quella di Trisulti, da governarsi
da un Vicaria, che deputerà il Priore di Trisulti, il quale avrà la
facoltà di destinare la Famiglia sufficiente al servizio della Chie-
sa, e del Monistero = Articolo III.* = *Vi avrà la sua abitazione,
e decente mantenimento il Procuratore Generale; acciò possa trat-
tare gli affari del corpo della Religione; senza punto ingerirsi però
nel governo della casa, e sua amministrazione; e facendovi la perma-
nenza il Padre Generale, sarà mantenuto, e trattato, come richiede
il suo grado, e la sua dignità, = Articolo IV.* = *Dovrà la Certo-
sa di Trisulti adossarsi ipesi, annessi, e connessi a quella di
Roma, come mantenimento intero degl' Individui, Sagrestia,
Fabbrica, e tuttociò, che necessiterà al mantenimento, e manuten-
zione, tanto degl' Individui, che della Chiesa, Sagrestia, e Chio-
stro = Articolo V.* = *Per il risarcimento del Chiostro, non dovrà
la Certosa di Trisulti indugiare a mettervi mano, = Omittuntur cæ-
tera, quæ ad rem non pertinent, Itaque motu proprio, certa scien-
tia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ Potestatis
plenitudine, per has Litteras Nostras, recensitos articulos omnes
adprobamus, & confirmamus, eosque inviolabiliter observari præ-
cipimus, & jubemus. Atque ut Priores Monasterii Trisultiensis, non
is modo, qui nunc est, sed & qui deinceps futuri sunt; quos quidem,
quocumque modo id munus vacare contigerit, ab Capitulo Mona-
chorum illius professorum eligi plane volumus; nullum non habeant,
cui rationem accepti, & expensi reddant, eam, ut ipsi Capitulo
Monachorum professorum, quotannis a se hunc ad finem convocan-
do, reddant, iisdem modo, & auctoritate decernimus, & manda-*

mus. Ne quis vero existimet, per privilegium, de quo præfati ini-
tio sumus, latendi sub immediata Protectione hujus S. Sedis Aposto-
licæ concessum Cartusie Domus Trisultiensis; (quod cum hac qui-
dem Cartusie Domus Romana, illi incorporata, esse commune fa-
ctum declaramus;) utramque Domum ab reliquo Cartusiano corpore
sejunctam, atque distractam esse, id profitemur nostri non esse
consilii. Nullum sane jus Capitulo Generali, seu Priori Generali
Cartusiano esse volumus, de alterutrius Domus redditibus quidquam
decernendi, aut rationem exquirendi, nullum de Familla in alterutra
Domus collocanda, aut permutanda, nullum etiam Priorum Tri-
sultiensis Domus, aut illius, vel hujus Romane Officialium eligen-
dorum, aut loco movendorum; ac licere illis volumus, Monastica
disciplinæ in utraque Domus tuendæ sollicitudinem gerere, atque ad
has quoque pertinere, si quæ perfectionis religiosæ profectum respec-
tencia, pro cunctis Cartusianis Domibus, ordinanda duxerit vel
Prior Generalis, vel Capitulum Generale; cui Capitulo, quoties
convocandum fuerit, Priorem Trisultiensem interesse, & suffragium
in eo obtinere, quo illustrior appareat hæc, quam intendimus,
membrorum ad reliquum corpus adhesio, decernimus; cujus rei
etiam causa Visitatores Ordinis legitimis temporibus, ad Trisultiensem,
Romanamque Domum adire posse, qui tamen eorum adventu,
Prior Trisultiensis Domus, atque Officiales utriusque petere
misericordiam, juxta domesticam ipsorum phrasim, teneantur,
nec suspensi ab suo quisque officio maneat; consensu vero ante ac-
cepto a Delegato Nostro, reque postea omni ad eum delata; nam
nihil interim agi in alterutra Domus sine eo permittimus. Nolumus
quippe, manum ut de opere suscepto, & adfecto removeat Dile-
ctus Filius, quem sæpe commemoravimus, Joachimus Tosius Dele-
gatus Noster, magna spe freti, quod Deus, quem ille, *in omnibus
vitiis suis cogitat, gressus suos dirigat*. Itaque illi committimus,
ut has Litteras Nostras, vel per se, vel per alios sibi probatos viros,
publicet, eaque ut executioni dentur, opportunis remediis curet,
& efficiat, eumdemque Delegati Apostolici officio, & munere præ-
ditum, cum omnibus juribus, facultatibus, honoribus, & privile-
giis, quæ id officii, ac muneris gerentibus, lege, aut consuetudi-
ne competunt, in utriusque Monasterii vigilia manere, motu item
proprio, scientia, & auctoritate supradictis statuimus. Mandamus
porro in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione divini ju-
dicii, Dilecto Filio Priori Generali Cartusie, Capitulo Generali,
Monachis commemoratarum Domorum, & quibuscumque Personis,
ad quas spectat, aut spectabit in futurum, etiam expressa men-
tione dignis, ut, ille quidem ne quam partem regiminis, aut
administrationis Romane Domus, ubi hospitatur, attingere præ-
sumat, & ut neque is, neque alius unquam, contra superius
statuta a Nobis quidquam audeat, vel moveat, utque omnes
prorsus se morigeros præsentent, dictumque Delegatum Nostrum
agno-

agnoscant, recipiant, reverentur, eisque in omnibus faveant, & prae-
 sto sint. Decernentes, has Litteras semper firmas, validas,
 & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effe-
 ctus sortiri, & obtinere, ac supradictis Monasteriis, & Personis
 plenissime suffragari, sicque in praemissis, per quoscumque Judi-
 ces Ordinarios, & Delegatos, etiam Cansarum Palatii Apostolici
 Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata letis, & eorum cuilibet
 quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate,
 judiciali, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super
 his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter con-
 tingerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Litteris Apo-
 stolicis, sah. melli. Pii PP. VI. Praedecessoris Nostri in forma Brevis,
 ejusque Rescripto Anni MDCCLXXXIV. super pensione annua, a
 Monasterio Trisultensi solvenda libere Romano, a qua illud penitus
 exsolvimus, ac Litteris etiam Apostolicis ejusdem Praedecessoris
 diei xiv. Maij Anni MDCCLXX. quarum incipit: *Desiderius, qua ad
 Religionis propositam &c.* atque aliis, si quae sunt, harum con-
 firmationis, atque alius diei xiii. Martij Anni MDCCLXXI. *Paternali
 charitati &c.* aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apo-
 stolicis, necnon supradicti Ordinis, & Monasteriorum, etiam ju-
 ramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alla robo-
 ratis, Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis,
 & Litteris Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet
 concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis,
 illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac
 de verbo ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore
 permansuris, ad praemissorum effectum amplissime derogamus,
 coeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam
 Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die xxiv. Julij MDCCLXXI.
 Pontificatus Nostri Anno secundo.

R. Card. Braschius de Honestis.

... & privile-
 ... honoribus, honori-
 ... de consue-
 ... no conser-
 ... Mandamus
 ... & auctoritate
 ... in-
 ... Capitulo
 ... & quibuscumque
 ... etiam expressa men-
 ... ne eorum regimini, ac
 ... ut hospitium, erigere
 ... contra subje-
 ... quae omnes
 ... Nostre

30:

UNSERE VORLAGE
ERLAUBT KEINE
BESSERE KOPIE